Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Ceteri uero dicebant. Sine uideamus an ueniat helyas li
berans eum. Ihesus autem iterum clamans uoce magna emi
sit spiritum. Et ecce uelum templi scissum est in duas a
summo usque deorsum. et terra mota est. et petre scisse sunt.
et monumenta aperta sunt. et multa corpora sanctorum qui dor
mierant surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post
resurrectionem eius. et uenerunt in sanctam ciuitatem.
et apparuerunt multis. Centurio autem et qui cum erant
custodientes ihesum. in so terre motu. et his qui fiebant ti
muerunt ualde dicentes. Uere dei filius erat iste. Erant
autem ibi mulieres multe alonge que secute erant ihesum.
a galylea ministrantes ei. Inter quas erat maria mag
dalene. et maria iacobi et ioseph mater. et mater filiorum
zebedei. Cum sero factum esset. uenit quidam homo diues
ab aramathia nomine ioseph. qui et ipse discipulus erat
ihesu. Hic accessit ad pylatum et petiit corpus ihesu. Tunc
pylatus iussit reddi corpus. Et accepto corpore. ioseph
inuoluit illud in syndone munda. posuit illud in monu
mento suo nouo quod exciderat in petra. et ad uoluit
saxum magnum ad ostium monumenti et abiit. Erat
autem ibi maria magdalene. et altera maria sedentes
contra sepulchrum. Altera autem die que est post
parasceuen. conuenerunt principes sacerdotum et pharisei ad
pylatum dicentes. Domine. recordati sumus quia sed
uctor ille dixit adhuc uiuens. post tres dies resur
gam. Iube ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium.
ne forte ueniant discipuli eius et furentur eum. et dicant
plebi surrexit a mortuis. Et erit nouissimus error.
peior priore. Ait illi pylatus. Habetis custodiam.